

Hagemann:
De feudo
Halsburgae
sive Loricae
vulgo vnn
Panzerlehn.



Der Messerschmied von Jena Johann Christoph Kattalbach.

Z.

THEODORI HAGEMANN

IVRIS VTRIVSQUE DOCTORIS

COMMENTATIO

DE

FEVDO HALSBERGAE

SIVE

LORICAE

P 327

VVLGO

Panzer - Lehn

DICTO.

K1775

GOTTINGAE

TYPIS JO. CHRISTIANI DIETERICH.

MDCCLXXXV.



THEODOR HASEMANN

SEINE VERMÄCHTNISS

COMMEMORATIO

DE

LEONARD HASEMANN

SIVE

ORIGINE

VERUM


Passer - Leder

DICTO

GOTTINGEN

1774 Jo. Christian Dietrich

RECEIVED



VIRIS PERILLVSTRI BV S
AMPLISSIMIS CONSVLTISSIMIS

GEORGIO LVDOVICO
BOEHMERO

*Potent. Magnae Britann. Regi et Electori Brunsvico-
Luneburg. a consiliis iustitiae intimis et Antecessori
primario in Academia Georgia Augusta*

JOANNI STEPHANO PÜTTERO

*Potent. Magnae Britann. Regi et Electori Brunsvico-
Luneburg. a consiliis iustitiae intimis Professore
iuris publici in Academia Georgia
Augusta ordinario*

FAVORIBVS ET PRAECEPTORIBVS

SVMMO PIETATIS CVLTV

PROSEQVENDIS

HANC COMMENTATIONEM

IN

GRATI ANIMI TESSERAM

OMNI QVA PAR EST

OBSERVANTIA ET REVERENTIA

D. D. D.

A V C T O R

VIRIS PERILLVSTRIBUS
AMPLISSIMIS CONSERVASSIMIS

GEORGIO LAVDOVICO
BOEHMERO

Patent. Magist. Publicus. Regi et Electori Brunsvic.
Landesburg. a consilio iustitiae et Medicorum
praesens in Academia Georgio Augusto

IOANNI STEPHANO PÛTTERO

Patent. Magist. Publicus. Regi et Electori Brunsvic.
Landesburg. a consilio iustitiae iudicis PÛttero
praesens in Academia Georgio Augusto

FAVORIBUS ET PRAECEPTORIBUS

ANNNO MDCCLXXV

PROSEQUESTORIBUS

HANC COMMENTATIONEM

IN

GRATIAM INISSERTAM

ANNNO MDCCLXXV

OSSELYANNA ET BERVENNIA

M. D. N.

A Y C T O R



VIRI PERILLVSTRES

AMPLISSIMI, CONSVLTISSIMI,

Per biennium, quod in hac Academia, studiis impendi iuridicis, VESTRO potissimum ductu vsus, saepius praeclaram natuſ sum opportunitatem, VESTRAM in me benevolentiam perspiciendi plenius. Hinc, quod pluribus accidere solet, vt in nomine, cui inprimis, si quas plagellas edituri sint, eas inscribant grati animi significandi causa, eligendo diu haesitent dubii, nequaquam mihi accidere potuisse, ex animo laetor ingenueque profiteor. Qui si audeam, iucunda VESTRORVM in me beneficiorum memoria

A 3

ductus,

ductus, publice VOBIS gratias agere, tantum abest, ut in temeritatis suspicionem incurram, ut potius pietas, qua VOBIS obstrictus sum, hoc ipsum a me exigere videatur. Accipere itaque dignemini, pro ea, quae in VOBIS tantopere eminent indulgentia, hoc grati animi documentum, pie reverenterque VOBIS oblatum; et si forte in iuvene interdum lapsa, certe caecutiente desideretis iudicium accuratum doctrinaeque elegantiam, saltem eius probare velitis studium voluntatemque. Quod reliquum est, ut me et in posterum VESTRO dignemini favore et patrocinio enixe rogo; et summum inuoco Numen, ut VOS, VIRI PERILLVSTRES, et huic Georgiae Augustae, et toti reipublicae litterariae seruet quam diutissime

TANTORVM NOMINVM

GOTTINGAE

d. 31. Jul.

1785.

observantissimus cultor

THEODOR. HAGEMANN.

DE

FEVDO HALSBERGAE SIVE LORICAE

VVLGO

Panzer - Lehn

COMMENTATIO.

Cuncti, aliqua iuris feudalis germanici notitia instructi, perspectum habent, Vasallos propter concessum beneficium praestitisse officia vel militaria vel non militaria; indeque natam esse distinctionem in feuda militaria et non militaria. Inter varias autem feudorum militarium species referri meretur feudum Halsbergae s. Loricae vulgo Panzer-Lehn vocatum; quod cum fere omnes, praeter IENICHIVM, cuius perbreuis de eo exstat obseruatio¹⁾, eosque ipsos quorum opera in enarrandis feudorum speciebus raro obuiis, eorundemque indole explananda versatur, silentio praeterire soleant; speramus, fore, vt nemo nos otii, male collocati accuset in feudo huiusce generis explicando. Certe, quin eorum, qui patria amant instituta studiumque antiquitatum germanicarum maxime ius clientelare illustrantium, effugiam reprehensionem, nullus dubito; cum nemo grates denegare audeat Io. SCHILTERO, qui in Commentario ad ius feudale Alemannic. rariores iuris clientelaris species, inter quas referendae sunt: *Fürsten-Lehn, Herrn-Lehn, Reit-Lehn, Kind-Lehn, Schilt-Lehn* etc. egregie et praeclare exposuit. Ceterum et si

A 4

exi-

¹⁾ Extat in eiusd, thesauro iur. feudal, Tom, II. p. 997 - 998.

exigua spes est, nos magnopere lectorum inituros esse gratiam consilio suscepto, nihilo tamen fecius in illustranda huius feudi natura atque origine operam nostram qualemcunque collocabimus, dumne legentes errorum veniam benevolentiamque suam nobis tribuere detrectent.

Vocamus feudum *halsbergae* s. *loricae* feudum militare, quod vasallo ea lege conceditur, ut vel belli vel pacis tempore ex edicto adsit loricatorum siue cataphractus. Denominatio huius feudi petita est a genere armorum, quibus instructi vasalli domino directo seruitia praestare debebant. Solenne enim est, vasallos ²⁾ et feuda ipsa nomen trahere vel ab *armis* ut feudum clypei s. Scuti ³⁾ feudum sagittae etc.; vel a *symbolis* et *signis* in solennitate inuestiturae adhibitis, nimirum feudum sceptri ⁴⁾; feudum vexilli ⁵⁾ etc. Idem factum est in feudo *halsbergae* s. *loricae*, quod nomen tenet a voce franco-gallica *hauberge*, *haubergeon*, quae loricae denotat, pro qua Germani usurparunt vocabulum *halsberg* etiam thora-

²⁾ v. c. *arcobolistarii*, *scutarii* s. *scutiferi*, *lancearii* s. *lan-*
ceati.

³⁾ IO. SCHILTER in *Comment. ad ius feud. Aleman.* p. 379.
HEN. HILDEBRAND de *feudo clypeari*. CARL. FERD.
HOMMEL de *inuestitura per clypeum in oblectam. iur.*
feud. obs. VIII.

⁴⁾ CHRIST. GOTH. BYDER de *feudis sceptri*. Ien. 1727.

⁵⁾ NIC. HIERON. GUNDLING de *feudis vexilli* et in *Gund-*
lingian. P. 26. n. 4. Ab alia quoque speciali ratione
interdum nomina acceperunt feuda, ut feudum *bur-*
faticum, *culinarium*, *caballinum* etc. quod posterius
egregie illustravit Ill. I. C. E. PÜTTMANN in *diatriba*
de feudo caballino vulgo Klepperlehn. Lips. 1773.

thoracem siue loricam significans, secundum MAR-
 QVARD. FREHERVM in *Commentar. ad Constitut. de*
expedit. romana. Sigillatim vero hoc feudum vsu
 receptum est apud Franco-Gallos et imprimis apud
 Normannos, qui hanc feudi speciem peculiari no-
 mine feudi *Haubertici*, *fief de haubert* insigniunt,
 quod LAROQVE pag. 241 ita describit: *Ou le Seig-*
neur est tenu de servir le Roi en la guerre, avec les ar-
mes pleines: c'est à dire, armé de toutes les pièces, et
par consequent avec l'arme de corps, qui étoit alor
la cotte de maille. Et in libro de consuetudinibus
 Normanniae cap. 85 de hoc feudo legimus: *Celuy,*
qui tient FIEF DE HAUBERT, doit de servir son fief
par pleines armes, par le cheval, par le haubert, par
l'escu, par l'espée, par le heaulme. Nec Germanis
 hoc feudum incognitum mansit; vt patet tam ex
 constitutione de expeditione romana, quam ex SIE-
 GEBERTO GEMBLACENSI ⁶⁾, qui feudum loricae id
 esse dicit, quod militi assignatur ea lege, vt ad edi-
 ctum praesto sit in armis loricaus s. cataphractus.
 Idem in libro de expeditione HENRICI regis Anglo-
 rum huius feudi iniicit mentionem, qui locus dignus
 est, cuius verba ipsa apponantur: *Rex, inquit,*
Henricus iturus in expeditionem praedictam, et conside-
rans longitudinem et difficultatem viae, nolens vexare
agrarios milites, nec burgensem, nec rusticorum multi-
tudinem, sumtis sexaginta solidis Andegauensibus in Nor-
mannia de FEUDO VNIVSCVIVSQVE LORICAE et de
reliquis omnibus, tam in Normannia quam in Anglia
 A 5 sue

⁶⁾ In *annal.* apud PISTORIUM et SCHARD. *script. rerum*
Germanic. Tom. I.

sive etiam in aliis terris suis; capitales barones cum paucis secum duxit, solidarios vero milites innumeros ⁷⁾).

De origine vocabuli *halsberg* differit WACHTERVS in *glossar. german.* p. 153: vocabulum *halsberg* significat primo collare, quia tegit iugulum, Germanis *Hals* dictum, tum lorica, quia praeter iugulum etiam pectus tegebat. VERELL. in *Ind. halsberg* collare calybeum. DV FRESNE in *glossar. mediae et infimae latinit.* T. III. p. 1044 scribit: *halsberga* est lorica maculis contexta, cotte de maille, Germanis *Halsberg*, id est munimen colli, ex *hals* collum, et *bergen* tueri, custodire. A verbo enim veterum Germanorum *bergen* nomina plura formata sunt, significantia tegumenta humani corporis praefertim militaria, quo referendae sunt *Beinbergae*, de quibus in lege Ripuaria Tit. XXXVI. BEINBERGAS *bonas pro sex solidis tribuat; et in testamento EVERHARDI Comitis in Spicil. Acher.* T. XII. p. 439. *Bruniam unam cum halsberga et helmum et manicam unicam BEINBERGAS duas* ⁸⁾ Sunt autem *beinbergae* apud veteres secundum WACHERVM l. c. p. 153. ocreae s. tibialia, quia tegunt tibias, quae Germanis vocantur *bein*. Ut autem ad vocem *Halsberg* redeamus id addere lubet, quod varie scripta deprehendatur, modo *halsveste*, modo *halsperga*, ut in *constitut. de expedit. romana*: "in arbitrio dominorum

pende-

⁷⁾ IO. STRAVCH *de hostenditiis* §. 40. IO. DAV. LÜDECKE *de adaerat. servitor. equestr.* §. 9. GE. AD. STRVV in S. I. F. p. 410.

⁸⁾ DV FRESNE l. c. T. I. p. 1095.

pendeat, quos ducant, quibus halspergas concedant”
 porro halberc, halbergium, denique etiam alsbergum,
 vt in charta HECCARDI comitis Augustodunensis apud
 Perardum: *Retardo donate mea brunia cum ALSBERGO.*
 Omnes hae voces testante DV FRESNE l. c. in prisco
 sermone significarunt lorica[m] s. thoracem, vel ex
 laminis compactum, vel ex annulis orbiculisque con-
 textum, quem Franco - Galli adhuc *hauberge*, *haubergeon*
 vocant. Ipsum vero vocabulum halsberg
 absque dubio Francicae s. Germanicae est originis,
 et quamuis obsoletum, in multis tamen locis vete-
 rum scriptorum adhuc obuium est. Inprimis fre-
 quenter occurrit in carminibus priscis illis, quae ex-
 tant in libro, qui inscriptus est *Heldenbuch*, ex quo
 versus nonnullos excerpere placet. Vid. Part. I.
 fol. 86. col. 2.

*Ottnit der sprach mit listen
 Noch bin ich ungewerth,
 Dich kan doch nit gefristen
 Dein halsberg und dein Schwert.*

*Da sprach der Lampertere,
 Ich bin noch ungewerth,
 Geh und bring mir doch here
 Mein halsberg und mein Schwert.*

*Mit Zuchten sprach der kleine,
 Du bist nit eins Weibs werth,
 Was wollestu so reine
 Führen halsberg und Schwert.*

Part.

Part. II. fol. 126. a. col. 1:

Da enstrickt sie den herren
 Die Frawe Lobefahm,
 Schilt und sein Schwert mit ehren,
 Helm, halsberg sie da nam.

Wölt ihr nun Fürste klare,
 Würcken solch schoene Werk,
 So gib ich euch fürwahre
 Gar ein gut Halsserberck,
 So müget ihr zu Walde
 Des bast den Preiß bejagen,
 Hundert halsberg gar balde
 Hieß man ihm dare tragen.

Wolffdiderich der elende
 Nam ihr da zwölff zumal,
 Er warf sie mit der Haende
 Wol nieder auf den Saal,
 Daß sie da gar zersprungen
 Vor manchen wehrden Man,
 Und auch gar laut erklungen,
 Da er das het gethan.

Der Burger sprach geringe:
 Ich sah nie staerckern Mann,
 Er hieß: den halsberg bringe
 Der ihm was geliehen an,
 Darin wasten ihn schire
 Zween Ritter lobelich
 Der dancket ihn der Ziere,
 Da her Wolffdiderich.

Part. denique III. fol. 252. a. col. 1:

*Da diese starcke Recken guet
Wol zu dem Streit kamen gesprungen
Ihre halsberge gar laut erklungen.*

Ex hisce versibus s. rhythmis facile est adanimaduertendum, vocabulum *halsberg* proprie apud veteres significasse thoracem s. lorica ipsam; idemque postea metonymice positum denotasse milites lorica s. thorace indutos⁹⁾: hinc exercitum militum loricatorum *Halschare* dictum esse. Ita enim apud SCHERTZIVM in glossar. germ. edit. OBERLIN. T. I. p. 600. legitur: *wir hieten den Sieg wol erstritten, wan das sie uns anriethen mit einer starcken Halschare — das waren die besten Ritterschar.* CHRON. COLONIENS. de manu militum loricatorum, quae erat in exercitu HENRICI V. Imp. a. 1115. haec memorat: *qui loricis corneis ferro impenetrabilibus utebantur, quod vetus interpres ita vertit: Die alle hatten halsberghe von horne gemacht.* Scriptores quoque antiquiores pro militibus loricatis amant dicere *loricas*, quod apparet ex HELMOLDI *histor. Sclavor.*¹⁰⁾ lib. I. c. 88.: *In hunc modum, inquit, rebus compositis profectus est Dux in Longobardiam cum mille (vt aiunt) loricis, habens in comitatu Adolphum comitem; et lib. II. cap. 13.: Filius quoque Regis ex concubina natus, Christophorus nomine, cum mille (vt aiunt) loricis venit Aldenburg, et perusserunt maritima eius.*

— — Praecipuum autem robur totius exercitus
posue-

⁹⁾ FRISCH Teutsch-latein. Wörterbuch voc. *Hals*.

¹⁰⁾ Edit. HEN. BANGERTI Lubec. 1659. 4.

posuerunt veteres in multitudine militum loricato-
rum ¹¹), quorum semper magnus in agmine fuit
numerus, ut constat ex ANT. FLORENTINO P. II
tit. 6. c. 13.: *Inuenti sunt habere peditum sexcenta
millia, equitum vero loricatorum centum millia;*
et Lib. XVII. cap. 18.: *In solo Imperatoris comitatu
erant ad septuaginta millia equitum loricatorum
absque peditum copiis.* Ex iis inde, quae hactenus
dicta sunt, liquet, halsbergas s. milites loricatorum
equo fuisse instructos et ad militiam pertinuisse eque-
strem; hinc forte colligeret aliquis, eos haud in-
commodè comparari posse, cum equitibus iis, quos
ferreis indutos loriceis, nostrates appellant *Curassiere*,
a quibus tamen ita differunt, ut ne minima quidem
inter eos intercedat similitudo ¹²).

Sed sufficiant quae modo de notione et ra-
tione nominis feudi halsbergae s. loricae exposuimus;
iam in originem atque naturam eius paucis inquirere
liceat. Originem, perhibente IENICHIO in observ.
perbreui de feudo loricae, hoc feudum Gallis et in-
primis Normannis debet. Illi enim, prout nimis
sunt ingeniosi, quadripartitam excogitarunt atque
effinxe-

¹¹) HISTOR. MISCELL. Lib. XXI: usque ad viginti sca-
phas remanserunt, habentes centenos loricatorum ad hos
custodiendos; et Lib. XX: *misit tria millia loricatorum
ad circumdandum eum ne fugeret.* TACITI autem
aetate milites loricati Germanis fere fuerunt ignoti.
TACIT. de M. G. Cap. VI. *Paucis loricae, vix vni
alteriue cassis aut galea.*

¹²) GE. DAV. STRÜBEN von dem Unterschiede der ehemali-
gen Ritterlichen Lehn- und heutigen Reuter-Dienste
in ej. Nebenfund. T. I. Abh. IV.

effinxerunt feudorum diuisionem, nimirum in fe-
 dum *loricae*, in feudum quod *iure parili* dicitur, in
burgagium et *elemosynarum* ¹³⁾. A Normannis ad
 Anglos et ab his ad Scotos transit: nec a Germanis
 ignoratum fuit, vt supra ex SIEGEBERTO GEMBLA-
 CENSI probauimus. Sigillatim tamen feudum lori-
 cae occurrit apud Scotos, qui hucusque illud reti-
 nuerunt, eiusque naturam et indolem copiose de-
 scripsit THOM. CRAGIVS *in iure feud.* Lib. I. Tit. XI.
 §. 18., cuius verba integra exscribi merentur: *Feu-*
dum loricae, dicit, *est plenum et integrum feudum, in*
quo vassallus armatus domino seruire tenetur loricaus,
in equo, scuto et casside munitus, et gladius siue gla-
dio accinctus. Hoc genus feudi in partes diuiditur, nempe
in duas, tres, quatuor, quinque, sex, septem et octo,
quae membra feudi loricae dicuntur, ulterius non. Ne-
que enim in plures partes feudum hoc loricae diuisibile
est quarum vnaquaeque pars est feudum nobile, et in
capite teneri potest, iurisdictionem habent annexam pro
suo membro, quale ipsum feudum, si integrum esset,
haberet. Quod si in plures partes diuidatur quam octo,
veluti si plures sunt filiae quam octo, inter quas neces-
sario feudum diuidatur, et vnaquaeque suam retinebit
iurisdictionem neque amplius in capite teneri dicitur.
Itaque feudo loricae in plures partes diuiso quam octo,
non solum omnia membra ignobiles sunt, sed etiam
curia et iurisditio in iis desinit, et ad dominum redit.
Ita tamen vt si vel emtione, vel successione, vel alio iusto
titulo partes hae siue membra rursus uniantur, et feuda
redinte-

¹³⁾ THOM. CRAGIVS DE RICCAROVN *in iure feud.* (edit.
 LVD. MENCKEN Lips. 1716.) §. 18 - 21.

redintegrentur, nobilitas cum iurisdictione resituatur. Et hoc feudi genus tenetur per hominum id est fidem praestandam domino, saluo supremi sive primi domini hominio.

Licet ratio huius feudi, qua olim obtinuit in Germania, omnino diuersa fuerit; tamen in multis rebus cum descriptione THOM. CRAGII conuenire videtur. Prouoco iterum ad testem omni exceptione maiorem SIEGEBERTVM GEMBLACENSEM, qui fundum loricae illud esse dicit, quod militi assignatur ea lege, vt ad edictum praesto sit in armis loricatorius s. cataphractus. Primaria itaque ratio feudi huius concedendi etiam in Germania fuit, vt vasalli domino praestarent seruitia armati; ideoque in summa rei conuenit feudum loricae apud Germanos, cum illo Scotorum: at in singulis partibus tum respectu diuisionis et successionis filiarum, tum respectu armorum in bello adhibendorum, dubium est, quin sibi inuicem respondeant ¹⁴). Equidem in re tam

impedita

¹⁴) Ea enim aetate qua feudum loricae, cuius meminit SIEGEBERTVS GEMBLACENS. obtinuit in Germania, vix primordia successionis feudalis conspicere licet, quippe quae demum post beneficia sensim, maxime post Constitut. CONRADI II. d. a. 1037, in feuda conuersa inualuit. Feudum quoque loricae iis temporibus notum, vt omnia alia beneficia ad instar mercedis et stipendii sub obligatione praestandorum seruitiorum militarium concessum est, pro lubitu scilicet domini aut reuocatorium, aut salrim ad vitae tempus in vasallum collatum; cum prima feuda vnice essent temporaria. I. F. I. S. I. MOELLER *in distinct. iur. feud.* Cap. IV. distinct. 17. PERILL. BOEHMER *in obseruat. iur. feud.* Obs. II.

impedita et tot tenebris obuoluta, quidquam certi affirmare vix ausim; id tamen persuasum habeo, vasallos in Germania, quoniam milites eius aevi, equo, scuto, galea gladioque instructos fuisse constet, quoad arma, sub eadem obligatione, quemadmodum apud Scotos, beneficia tenuisse accepta, quamuis id ipsum, armatura tot vicissitudinibus subiecta, aliqua adhuc premi videtur dubitatione. Quae cum ita sint, nonnulla in CHRON. LIMBURG. p. 18. de armis veterum Germanorum eorundemque mutatione memoriae prodita afferre lubet ¹⁵⁾:

In derselbigen Zeit, (scil. a. 1351 dicit Chron.), und manch Jahr zuvor, da waren die Waffen als nachher geschrieben stehet. Ein ieglich guter Man, Fürst, Graf, Herr, Ritter und Knecht die waren gewapfnet mit *Platten*, und auch die Bürger mit ihren Wapfenroecken ¹⁶⁾ darüber zu sturmen und zu streiten mit *Schoffen* und *Leibeissen* das zu der Platten gehoerte mit ihrem gekroenten *Helmen*, darunter hatten sie kleine *Bundhauben*. Vnd führte man ihnen ihr *Schild* und *Tartschennach*,
und

¹⁵⁾ *Fasti Limpurg. das ist: eine wohlgeschriebene Chronick der Stadt und Herrn zu Limpurg auf der Lahn.* edit. 1612. rec. Wetzlar. 1720. Extat quoque in HONTHEIM. *prodrom. hist. Treuir.* Part. II.

¹⁶⁾ V. PISTORII *amoenit.* Tom. I. diff. I. De armis veterum Germanor. legi merentur RADEVICVS *de gestis Friderici I. Imp.* in VRSTISII collect. IO. STRAVCH *de armis veter. Germanor.* DAN. NETTELBLADT *de veste militari.*

und auch ihre *Glene*. Vnd den gekroenten Helm fuhrte man ihnen nach auf ihren Globen. Vnd fuhrten sie an ihren Beinen *Streichhofen* und darunter grofse weite *Lerfen*. Auch fuhrten sie *Beingewand*, das war vornen von Leder gemacht, also Armleder, aber also von Syreck gestipt, und eisen Boecklein vor den Knien. Da wurden die reisigen Leute geacht an hundert zweyhundert und mehr gekroenter Helm. Et pag. 23: In dieser Zeit (scil. eiusdem anni 1351.) *vergingen* die *Platten* wider in diesen Landen, und die reisigen Leute, Herrn, Ritter, Knechte und Bürger die fuhrten alle *Schau-ppen*, *Pantzzer* und *Hauben*. Da achtete man reisige Leute also an hundert oder zweyhundert — mit *Hauben*. Die Manierung von den Schaupen hatte bescheidene Länge, und die Arm waren eines theils einer Spannen von der Achsel, oder zweyer Span, und eines theils hatte nicht mer den da man die Arm anstosset, und hatten seidene Quasten hinten nider hangen, *das war freudig*. Die Vnterwams hatten enge Arm, und in dem Gewerb waren sie benehet, und behest mit *Stücken von Pantzzer*, das nannte man *Musseisen*. Denique pag. 96: Zu derselbigen Zeit (a. 1389.) fuhrten Ritter und Knechte. Burger und reisige Leute, *Brust* und glat *Beingewand* zu sturmen und zu streiten und *keinen Tartfchen und Schild mer*, also dafs man unter hundert Rittern und Knechten *nicht einen fand*, der einen Tartfchen oder Schilt hatte.

His

His plura de frequentissima armorum mutatione apud priscos exempla ex veteribus scriptoribus adducere possemus; sed cum a consilio nostro aliena sint, ad propositum redeamus. *Halsbergarum in Constitut. de expedit. romana* passim fit mentio; vbi haec vox, secundum ea quae hucusque de vero eius significatu disputata sunt, denotat milites loricatos, cui sententiae adstipulatur et MARQVARD. FREHERVS in Commentar. ad dictam constitutionem. Ceterum autem in ambiguo est, num halsbergae, quorum meminit constitut. illa, beneficia immediate a principibus accepta ea lege tenuerint, vt ad edictum praesto essent in armis loricati; an fuerint eorum subuafalli, qui haec beneficia, eadem obligatione, vt armati praestarent seruitia, in subfeuda a vafallis principum sibi concessa possiderent. Hanc quaestionem, quamquam superuacanea nonnullis videri possit, tamen intactam relinquere nolumus, pro certo habentes, halsbergas in Constitutione illa commemoratos, fuisse subuafallos principum et vafallos eorum, qui in Constitutione vocantur *milites*. Ansam huius coniecturae nobis praebet lis, quae inter principes et milites s. vafallos principum orta enarratur in *Constitutione de expedit. romana* verbis sequentibus: *Interim dum haec agerentur casu contigit principes cum militibus de romana expeditione, quae tunc instabat, acerbè contendere, constringentes eos, multo plures halsbergas de beneficiis suis sibi ducere, quam illi fatebantur se posse vel iure debere.* Causa huic liti occasionem praebente exposita, optime sententiam, halsbergas fuisse subuafallos, tuebimur.

Tralatitium enim est, omnium vasallorum Imperii officium fuisse, Regem Romanum Romae Imperatorem creandum et coronandum cum vasallis suis comitandi; accedit quod de certo vasallorum Romanam ducendorum numero, pactiones inter Imperatorem principesque Imperii factae saepius traduntur. Tale pactum certe occurrit inter epistolas ABBATIS WIBALDI num. 353, in quo inter FRIDERICVM I. Imp. et BERTOLDVM Ducem Zaeringiae ita conventum est; *Dux Bertolfus habebit cum Domino Rege mille LORICATOS EQVITES quamdiu Dominus Rex in illis terris fuerit; in italicam expeditionem ducet cum Domino Rege, quamdiu in ipsa expeditione fuerit quingentos LORICATOS EQVITES, et quinquaginta arcobolifarios.* Milites vero s. vasalli principum sua feuda tenuerunt ea lege, vt et ipsi et simul cum certo numero halsbergarum s. militum loricatorum, quos recentior aetas *Knechte s. reisige Leute* vocauit, adessent, vel belli vel pacis scil. instantis expeditionis romanae tempore. Vt autem vasalli principum ad edictum praesto esse possent cum halsbergis, his ipsis beneficiorum suorum concesserunt certam partem, sub eadem obligatione, vt ad eorum euocationem itidem parati essent loricati. Postquam autem temporibus sequentibus principes praecipuum splendorem maxime cum expeditionem susciperent italicam, in multitudine militum loricatorum ponerent, alius alium ingenti vasallorum turba antecellere cupidi; coegere vasallos, vt multo plures halsbergas secum in expeditionem ducerent. his vero obsequium detrectantibus, orta est rixa inter principes

pes

pes et milites. Vitio vertendum enim non erat militibus, quod masculine se opponerent principibus, quoniam halsbergae seruitia non nisi concessio beneficio iis praestarent; sin autem plures halsbergas ducere deberent, absque dubio militibus aut nihil de beneficiis suis superfuisset, aut saltem maximam partem eius in halsbergas conferre debuissent. Id quod auctor *constitutionis de expeditione romana* ¹⁷⁾ bene intellexisse videtur, ita numerum halsbergarum in expeditionem italicam ducendorum designans: *Qui autem per hominum suae liberi suae famuli dominis suis adhaeserint, quod decem mansos in beneficio possideant, tot BRUNIAS* ¹⁸⁾ *cum duobus scutariis ducant.*

B 3

ita

¹⁷⁾ De Constitutione de *expeditione romana* aeuo CONRADI II. vindicata vid. CHRIST. GEBAYER in append. ad SCHILTERI *institut. iur. feud.* p. 232. Extat quoque Constitutio illa apud SENCKENBERG. in *Corp. iur. feud.* edit. Io. FRID. EISENHART pag. 710 seqq.

¹⁸⁾ *Brunia* est vox vetus Francica s. Saxonica thoracem s. lorica significans. DV FRESNE l. c. p. 1310. In *constitut. de expedit. romana* autem vox *Lorica, Brunia, Halsperga* vnum idemque, nempe militem loricaatum s. cataphractum significat, vt recte MARQUARD. FRESHERVS l. c. indicat. Occurrit quoque haec vox *brunia* s. *brinne* in *lege Ripuar.* Tit. 36. §. II. et in *lege Salica* Cap. IV, et in libro *Heldenbuch* inscripto:

*Darum will ich euch geben
Eine brinne winnesan,
Die kein Herr in sein leben
Nit besser mag gehan,
Wol achtzigtausent Marcke
Ist dieselb brinne werth.
Zu dem geschmeid und starcke
Gib ich euch auch ein Schwert.
Sie kunten Helme hawen*

Und

ita tamen, quod pro halsberga tres marcas et pro singulis scutariis singulos marcas accipiant. Quibus expositis, neminem forte calculum suum sententiae meae non adiecturum esse puto, halsbergas, quorum meminit *constitutio de expedit. romana*, fuisse subvasallos. Perpendentibus insuper, concessionem vel feudi integri, vel partis in subfeudum datae olim fuisse frequentissimam, et omnino subfeuda antiquissimi esse moris, tum secundum ius germanicum ¹⁹⁾, tum secundum Constitutionem CONRADI SALICI ²⁰⁾, LOTHARII et FRIDERICI I. ²¹⁾ ad ius Longobardicum pertinentem, neque seruitia militaria ea aetate nisi concessio beneficio facile fuisse praestita; haud improbabile videbitur, vasallos, quorum esset, halsbergas adducere domino. certam beneficii partem in halsbergas ipsos contulisse ea conditione

*Und auch die brinne ganz
Das man sie must anschawen.
Mit manchen weiten Schranz.
Nun legen von euch das freitgewand.
Helm und Schilt wol von der Hand,
Die Schwert und auch die brinne gut
Ihr seid vor Schaden wol behut.*

In Capitul. CAROLI M. Lib. IV. Cap. 49. cautum est: *ne loricae extra regnum Sclavis aut aliis populis venderentur.* Et in Lib. VI. Cap. 212. ita est; *ut armillae et brunice non dentur negotiatoribus.* Ap. BALVZ. Lib. VI. Cap. 223. T. I. col. 691. et Cap. 273. ib. col. 968. adde SAGITTAR. ducat. Thuring. pag. 219. et 309.

¹⁹⁾ IUS FEVD. SAXON. Cap. 14. IUS FEVD. ALEMAN. Cap. 30: *Ein gut mag maniges hern sin, als es ein Man dem andern lilt.*

²⁰⁾ II. F. 34.

²¹⁾ II. F. 55. §. 3.

ditione, vt ad nutum parati essent in armis lorica-
ti. Neque principes splendoris amplificandi auidi
aegre tulerunt numerum vasallorum datione subfeu-
dorum auctum, quandoquidem subuasalli aequae ac
vasalli, ad seruitia ipsis tamquam dominis superiori-
bus praestanda erant obstricti. Quam quidem sen-
tentiam ne quis ita accipere velit, ac si omnes
halsbergae a nobis habeantur pro subuasallis eorum-
que beneficia pro subfeudis; cum e contrario ita
statuamus, vasallos, iis exceptis quorum meminit
constitutio de expedit. romana, feuda loricae s.
halsbergae a dominis accepisse immediate.

Cum neque a vasallo neque a subuasallo serui-
tia militaria nisi indicta, eaque propter periculum
necessaria, exigi possint ²²⁾; facile est ad intelli-
gendum, vasallos ante indictionem non fuisse obli-
gatos, vt in armis praesto essent loricati. Tales
itaque litteras euocatorias emisit a. 1588. IULIVS
Dux Brunsvicens. genere armorum in iis praescri-
pto ²³⁾: *Daß ein ieder mit so viel Reifgen und Pfer-
den als er vermoege seiner Lehen und Verwandniß Vns
zu dienen schuldig und pflichtig, iederzeit in guter Be-
reitschaft sitze, wol versuchte, geübte, und erfahrene
Knechte bey sich habe; desgleichen so viel müglich mit
blancker stahlner Rüstung und gestahlten Satteln, daran
zwey Feuer-Rohr, mit eisenblechnen Laden, vnd
schmalen Anschlagen etc. wie auch mit Spießsen vnd
Haupt-Harnischen, bey Vns auf Erfordern sich ein-
stellen*

B 4

²²⁾ PERILL. BOEHMER in iure feud. §. 235.

²³⁾ LEYSER de feud. Brunsvicens. pag. 50.

stellen koenne. Simile edictum ab ERNESTO Duce Saxoniae Gothano a 1673 euulgatum legimus apud LVNIG in Corp. iur. feud. T. III. p. 921. *Daß ein ieder tüchtig mit Sattel vnd Zeug auch guten Gewehr versehen samt wol montirten Knechten sich in Bereitschaft halte.* Idem exhibet T. II. pag. 1662. euocationem vasallorum a Duce Württembergico a 1691 edictam huius argumenti: *Du wollest dich mit guter dieser Zeit üblicher Rüstung, wie es zum Feldzug und Ernst gehoert, auch deinen Stand gebuhret mit wolmontirten Knechten vnd Pferden etc. in guter Bereitschaft halten* ²⁴). Hunc in modum euocati, adesse debent vasalli ad militiam suscipiendam, cui tamen praeter Imperatorem dominumque antiquiorem, inferretur bellum ²⁵). Ita enim legimus II. F. 28. §. 4: *contra omnes debet vasallus dominum adiuuare et contra fratrem et filium et patrem, nisi contra alium dominum antiquiorem, hic enim ceteris est praefendus;* et II. F. 7: *quod ab hac hora vsque ad ultimum diem vitae meae, ero fidelis tibi domino meo contra omnem hominem excepto Imperatore vel Rege.* Hinc ERNESTO Alemanniae Duci Vasalli ab eo contra Imperatorem euocati responderunt: *nunc vero cum liberi sumus et libertatis nostrae summum defensorem interea regem et Imperatorem habeamus, ubi illum deserimus, libertatem amittimus, quam nemo bonus, ut ait quidam,*

nisi

²⁴) Recentiori aetate a. 1701. euocauit FRIDERICVS I. Rex Borussiae vasallos, et a. 1702. AVGVSTVS Rex Poloniae. Litteras euocatorias vid. ap. LVNIG l. c. T. II. pag. 975. et in Codice Augustano T. I. pag. 2308.

²⁵) PERILL. BOEHMER l. c. § 238.

nisi cum vita simul amittit²⁶⁾. Dominus autem, cum eius intersit, vt seruitia ab ipso vasallo exhibeantur, iure postulare potest, vt vasallus praesens satisfaciat officio²⁷⁾: nisi eum lege soluat vel expresse vel tacite²⁸⁾. Illa autem seruitii coram praestandi necessitas, posteriori tempore, neque dominis, neque vasallis grata fuit; cum, mutata belandi ratione vsus fere nullius esset militiae feudalis, artis, tormenta maiora illa, quibus aetas nostra vti solet, sollerter tractandi profus expers. Adsunt quidem recentiori aetate exempla de vasallis ita euocatis, vt praesentes militarent, sed rudes et imperiti rei militaris hodiernae, signis desertis, terga dedere et in fugam coniecti, hosti fuere risui. Certe huius rei insigne exemplum nobis dedit militia feudalis franco-gallica, a LVDOVICO XIV. vltimum euocata, quae ita a militibus imperialibus fugata est, vt ludibrio ab omnibus haberetur. Quae cum ita sint status et conditio militiae feudalis, ita fert, vt dominorum vasallorumque consensu loco seruitiorum in propria persona praestandorum certa pecuniae summa pendiqueat, quae vocatur *adaeratio*, cuius quantitas indicatur, vel ex conuentione domini et vasalli, vel ex obseruantia²⁹⁾.

B. 5

Attingo

- ²⁶⁾ WIPPO in vita CONRADI II. p. 474. ap. PISTORIUM T. I. scriptor. rerum germanicar.
²⁷⁾ II. F. 23 in fin. II. F. 26 §. 12. II. F. 36. IVS FEVD. ALEM. cap. 87: *Sol er in eigener Persohn ziehen.*
²⁸⁾ KOHL de seruit. feudal. n. 150. STRYX de immunitate a seruitiis feudal. §. V.
²⁹⁾ PERILL. BOEHMER l. c. §. 241. Hunc modum a seruitiis feudal. in propria persona praestandis sese liberandi

Attingo nunc illam quaestionem vtrum feudum halsbergae s. loricae sit feudum militare et nobile, nec ne? ³⁰) Secundum ea, quae supra de feudo loricae ad ductum THOM. CRAGII de iure feud. et consuetudinum Normanniae dicta sunt, haec quaestio inutilis videri posset, quandoquidem ex iis fatis iam euictum sit, feudum loricae esse feudum militare atque nobile. Verum enim vero num apud Germanos itidem fuerit, dubitationi quodammodo obnoxium est. Primum forte crediderit aliquis, vasallos ea lege hoc beneficium tenuisse, vt lorica s. thoracem domino tantum praerent. Neque hoc probabilitate caret, quoniam testante STRVIO in *element. iur. feud.* (edit. Hellfeld.) p. 436. etiam reperiuntur feuda, quae praestare tenentur: *Ein Artillerie-Pferd, einen Klepper vor dem Koch, ein Pferd vor dem Rastwagen*; ideoque non est quod miremur, vasallos huius feudi tantummodo fuisse obstrictos, vt dominis officii loco darent lorica.

Quis

randi fusius exposuerunt HEN. COCCEJI in *diff. de adoha* Francof. 1699. IO. DAV. LÜDECKE in *D. de adaerat. seruit. equestr. rec.* 1753. IO. STRAVCH de *hofsenditiis*.

- ³⁰ Consuetudine feudorum recentiori feudum militare quoque vocatur *nobile*. quod secundum principia iur. feud. antiqui germanici dicitur feudum, ingenuo sub conditione praestandorum seruitiorum militarium et quidem equestrium concessum, germanice propterea *Ritter-Lehn Adelich-Lehn* appellatum. Et hoc sensu feudum loricae omnino feudum nobile est. Vid. MASCOV de *iur. feudor.* Cap. III. §. 24. MÖLLER in *distinct. iur. feud.* Cap. III. dist. VIII. HOMMEL *academ. Reden über MASCOV de iure feud.* Cap. III. §. 24. IO. SCHILTER *instit. iur. feud.* (edit. Heinecc.) Cap. 9. §. 3.

Quis autem est, qui dubitet, quin tale feudum inter ignobilia feuda potius, quam inter militaria et nobilia sit referendum, cum eius seruitium in offerenda sola lorica consistat, quam ignobiles etiam praebere possint. Missa tamen hac dubitatione, equidem in nullum incidi locum, ex quo cum probabilitate aliqua effici possit, possessores feudi loricae, praestita lorica, ab obligatione praestandi seruitia militaria in propria persona, liberatos fuisse. Ea enim aetate sine dubio maiori vsui erant dominis vasalli loricati, quam loricae sine militibus; et insuper ex ipsa *constitutione de expedit. romana* apparet, sub halsbergis non loricae solam, sed milites loricatos intelligi. Hinc non est quod dubitemus, quin in Germania feudum loricae etiam feudum nobile fuerit, partim quia ea lege concessum est, ut vasalli equis et in armis loricati domino seruitium praestarent, partim quia secundum ius germanicum antiquum nobiles soli, et ingenui ex ordine militari feuda possidere et ad militiam equestrem accedere possent³¹⁾. Recte itaque statuit Mascovius *in iure feud.* cap. III. §. 24.: *Nobile quoque vocatur feudum militare, Ritterguth, cuius variae species a diuersitate seruitiorum denominantur, ut feudum equestre, loricae et alia.* Quae cum ita sint, haud immerito haec feudi species inter feuda nobilia atque militaria refertur, cum absque dubio hoc feudum antiquitus nobilibus fuerit destinatum sub onere praestandorum seruitiorum equestrium. Cui tamen sententiae quodammodo repugnare videtur ipsa *constitutio de expeditione romana*, ex qua antea colle-

³¹⁾ PERILL. BOEHMER l. c. §. 96.

collegimus, halsbergas beneficia sua a militibus principum tenuisse accepta, cosque fuisse subvasallos et beneficia eorum subfeuda. MARQUARD. autem FRIEHERVS in eleganti ad hanc constitutionem commentario, contendit: feudi ius et vim non habere, quod milites de suis beneficiis rursus in alios conferrent, sed id potius precarii instar esse. Quod si ita se habeat, quis nunc affirmet, halsbergas tenuisse feuda? Audiamus ipsa FRIEHERI verba: *Principes et comites militibus et equitibus a suis feudis aliquid largiendo, vasallos et valuasores sibi faciunt eaque beneficia feudi iure optime censentur. At quid hi ipsi in alios deinceps gratuito conferunt, quos valuasinos vocant, id feudi ius et vim non habet, sed precarii simplicis instar, etiam absque eorum culpa, a dante ad libitum reuocari potest.* Quae quidem secundum instituta Longobardica recte dicta, valde vereor, **ut** cum Germanorum moribus conueniant, cum non solum haec partitio in Germania numquam recepta sit ³²⁾; sed etiam hucusque occurrant exempla feudorum a nobilibus conferri solitorum ³³⁾. Halsbergis quoque non gratuito sed ea lege concessum fuit beneficium, vt seruitia militaria in armis loricati praestarent, sine dubio autem recusassent hoc seruitium, si pro libitum hoc beneficium sibi adimi posse vidissent. Et quamquam feudum nobile

³²⁾ PERILL. BOEHMER I. C. §. 95.

³³⁾ CHRIST. GOTTL. BVDER in *amoenit. iur. feud.* Obf. 16 ALB. GE. SCHWARTZ in *Versuch einer Pommerschen und Rugischen Lehnslist.* P. II. pag. 150. HERM. HEN. AB ENGELBRECHT *de iure ordin. equestr. in Pomer.* pag. 55.

nobile secundum MOELLERVM l. c. cap. V distinct. 9. conferendi potestatem nemo habeat, nisi qui iure belli gerendi, adeoque milites conuocandi sit instructus; nihilo tamen fecius ea aetate, qua ius belli in Germania adhuc priuatum esset, hac facultate praeter nobiles primi ordinis nobiles etiam inferiores gauisos esse, testantur exempla feudorum a nobilibus concessorum ³⁴). Ceterum halsbergae utrum milites s. ingenui ex ordine militari an ingenui ex ordine ciuico fuerint? difficile est dictu. Militum enim erant duo genera, quorum alterum complectebatur nobiliores *Ritter*, alterum inferiores *Knechte* ³⁵). Num vero halsbergae ad vnā alteramue classē pertineant, in tanto veterum scriptorum dissensu, nec pro certo affirmare nec negare ausim, quamquam verius videtur eos sub nomine *der Knechte* comprehensos fuisse. Ut autem res sese habuerit, nihil interest, etiamsi halsbergae ex ordine ciuico fuerint, cum et hi iure Longobardico recepto, feuda nobilia possidere, et ab antiquis inde temporibus apud Germanos seruitia militaria praestare potuerint ³⁶). Quodsi denique praeunte MOELLERO l. c. cap. III. distinct. VIII. feudum

³⁴) GE. AD. STRVV S. I. F. Cap. XII. §. 10 BEYER *Erläuterung des teutsch. Lehnrchts* pag. 514.

³⁵) BEYER l. c. p. 123. VON BVRI *Erläuterung des Lehnrchts* (edit. V. Ill. IVST. FRID. RVNDE) Cap. I. pag. 63.

³⁶) PERILL. BOEHMER l. c. §. 96-98. HEN. HILDEBRAND *de feudo Clypeari* §. 16. seqq. ILL. CHRIST. GOTTL. BIENER resd. 10. HEN. BOEHN *de ciuib. feudor. equestr. capacib.* §. 6. Lips. 1784. SCHILTER *de subinfestat.* §. 72.

feudum nobile, secundum principia iuris feudalis germanici antiqui, illud dicimus, quod ingenuo sub conditione praestandorum seruitiorum militarium et quidem equestrium concessum est; prorsus nullum superest dubium, quin feudum loricae s. halsbergae inter feuda militaria et nobilia referri debeat. Omnia autem haec dubia statim euanescunt, si feudum loricae immediate a principibus concessum est, id quod plerumque factum esse recte nobis statuere videmur.

Iis, quae haecenus de huius feudi natura et indole commemorauimus, probe perpensis; vix in dubitationem cadere videtur *propriis an impropriis* feudis annumerandum sit feudum loricae. Feudum enim loricae inter feuda militaria et nobilia referendum, in omnibus seruat naturam feudi proprii³⁷⁾. Filiarum quidem in feudum loricae successionem adfert THOM. CRAGIUS l. c. quae autem in Scotia sola vsu recepta, non locum habent in Germania: et communis feudorum ratio, tam diu praesumenda est³⁸⁾, donec probetur contrarium³⁹⁾. Quaerenti iam

³⁷⁾ Secund. ius feud. german. antiquum id solum feudum *proprium* et *rectum* dicitur, a quo seruitia militaria sunt praestanda. Vid. AVCTOR. VET. *de benefic.* §. 130. *Ius feud. Sax.* Cap. 63. et *ius feud. Aleman.* Cap. 113. §. 1.

³⁸⁾ CHRIST. GOTTH. GVTSCHMID *prog.* *de feud. omnibus iure proprior. omni ex parte censendis.* Lips. 1756.

³⁹⁾ Supra iam monuimus prima successionis vestigia iis demum temporibus obseruari, quibus feud. loricae in Germania obtinuit; filiosque si quando fieret, vt honor beneficiorum ad eos transferretur, illa non successione

iam an ad petendam renouationem inuestiturae in quouis casu possessor feudi loricae fuerit obstrictus, inspiciendus est saepius laudatus MOELLERVS l. c. Cap. XVII distinct. v. pag. 412, qui recte decernit: *omnem vasallum cuiusque conditionis sit ad petendam renouationem inuestiturae teneri, nisi exceptionem probari possit*, indeque simul euincitur, halsbergis quamquam sint subuassalli de beneficiis suis renouationem inuestiturae petendam esse, et quidem a domino immediato ob initum cum eo contractum feudalem ⁴⁰).

Difficile denique est ad discernendum: num feudum loricae cum feudo clypei f. scuti prorsus conveniat, ita vt vnum idemque sit? THOM. CRAGIVS l. c. statuit feudum loricae nihil differre a feudo clypearif. scuti, eandemque sententiam fouet BVRCH. GOTTH. STRVV in element, iur. feud. pag. 452. ad *ius feud. Aleman.* Cap. :01. et ad *ius feud. Saxon. latin.* Cap. 42. §. 1. prouocans. GOTTL. AVG. LENICHEN in obseruat. de feudo loricae, breuiter ita re defungitur: *quod nec negare, nec affirmare in tantis veteris aevi tenebris audeo*. Quae cum ita sint, vix temeritatis notam effugerem, explicaturus rem tanta obscuritate laborantem, vt LENICHIVS adeo de ea desperaret explicanda. Id tamen addere lubet, feudum militare interdum clypei f. scuti nomine generatim insigniri, saltim eo sensu hoc vocabulo vti

HEN.

cessionis iure, sed per nouum nouae concessionis beneficium nactus esse. PERILL. BOEHMER in obs. iur. feud. Obs. II.

⁴⁰) MÖLLER l. c. p. 492. PERILL. BOEHMER in iure feud. §. 291.

HEN. HILDEBRAND. in *dissert. de feudo clypeari*; cum autem feudum loricae prout feudum militare in hoc sensu latiori cum feudo clypei conueniat; quaestio locum habere videtur, num et in ceteris sibi respondeant; sed in tantis priscorum tenebris vix ad liquidum perducere potest. Si vero adfuit differentiae quidquam, sine dubio in ipsa armatura et seruitiorum diuersitate posita fuit; prorsus enim differunt inter se scutum et lorica s. thorax; vnde conicio, vasallos feudum scuti possidentes obstrictos fuisse in genere domino seruire cum scuto s. clypeo, feudo loricae donatos autem in armis loricanos seruitium praestare debuisse ⁴¹). Sed quoniam coniecturis non tolluntur dubitationes, melius intactae relinquuntur, dum meliora de iis in medium proferri possint.

Haec sunt, quae aequis harum rerum aestimatoribus de feudo halsbergae s. loricae offerre volui, qui si in quibusdam lapsus, neque in omnibus ea qua par erat dexteritate versatus sum; forsitan excusationis aliquid mihi conciliabit tum ipsa huius argumenti ex antiquitate petiti obscuritas, tum monitum illud IUSTINIANI in lege 2. §. 14. C. de veteri iure enucleand:

Omnium habere memoriam, et penitus in nullo peccare, diuinitatis magis quam mortalitatis est.

⁴¹) Forsan quoque lorica s. halsberga fuit symbolum investiturae s. concessi beneficii, vt vexillum, sceptrum et clypeus, quae etiam erant pignora et signa investiturae in aliis beneficiis. V. HOMMEL. *Oblectam. iur. feud. Obj.* VIII.

m
oc
co
n-
ni-
d-
m
er
al-
e-
o-
m
ris
n-
rri
a-
ui,
ea
u-
ar-
o-
e-
llo
ft.
in-
um
e-
m.

Re 775

ULB Halle

3

006 697 054




VD 42



Blank paper label on the right edge of the book cover.





B.I.G.

Farbkarte #13

THEODORI HAGEMANN

IVRIS VTRIVSQUE DOCTORIS

COMMENTATIO

DE

FEVDO HALSBERGAE.

SIVE

LORICAE

VVLGO

Panzer - Lebn

DICTO.

K1775

GOTTINGAE.

TYPIS JO. CHRISTIANI DIETERICH.

MDCLXXXV.

